

## Distinctio XXII

- /Vb 252vb; X 513a/ “Post praedicta disserendum est”, etc. Postquam Magister determinavit de unitate essentiae et trinitate personarum quoad ea quae de ipsis intelligenda sunt et tenenda  
 5 quantum ad rem, hic de his quae sunt confitenda quantum ad vocem, incipit /X 513b/ enim hic tractatus de nominibus divinis. Et circa hoc Magister facit duo. Primo namque tractat de divinis nominibus in generali, et secundo in speciali. Secunda ibi: “Praedictis adiciendum est de sequenti”. Circa primum duo facit. Primo enim ponit sex differentias nominum divinorum, /X 514a/ et secundo assignat quasdam regulas de eis. Secunda ibi: “Sciendum est igitur”. Circa  
 10 primum duo facit. Primo enim ponit tres differentias nominum divinorum, dicens quod nominum quaedam sunt personalia ad distinctas personas pertinentia, quae sunt indicia proprietatis, ut ‘generatio’, ‘Filius’, ‘Verbum’; quaedam vero sunt unitatem essentiae significantia, ut ‘sapientia’, ‘veritas’, ‘virtus’; quaedam autem similitudinaria et translative, ut ‘splendor’, ‘speculum’, et ‘character’.
- 15 Secundo ibi: “His adiciendum est”. Ponit alias tres differentias, dicens quod quaedam sunt nomina quae dicuntur de Deo ex tempore et relative ad creaturas [Bo; creaturis\* Vb] , ut ‘dominus’, ‘refugium’, et ‘creator’; quaedam vero quae dicuntur ex tempore, sed non relative, ut ‘incarnatus’ et ‘humanatus’; quaedam autem collective, ut hoc nomen ‘trinitas’, quod de nulla persona dicitur singillatim.
- 20 Postmodum ibi: “Sciendum est igitur”. Ponit Magister quasdam regulas circa nomina praedicta, et facit duo. Primo namque assignat quinque regulas; primam quidem quod illa nomina quae pertinent singulariter ad personas relative dicuntur ad invicem, sicut ‘Pater’, ‘Filius’ et ‘Donum’; secundam vero quod ea quae significant essentiae unitatem absolute dicuntur et ad se, et similiter econverso ea quae absolute et ad se dicuntur, substantialiter  
 25 dicuntur; tertiam vero quod ea quae dicuntur relative, nullo modo indicant substantiam, nec substantialiter dicuntur; quartam quoque quod quaecumque dicuntur substantialiter et absolute non praedicantur pluraliter de omnibus tribus, sed singulariter, non enim trinitatem dicimus esse tres deos, sed unum Deum, nec tres magnos, nec tres omnipotentes; quintam vero quod huiusmodi nomina absoluta non significant aliud et aliud, non enim est aliud esse magnum, et  
 30 aliud esse simpliciter, et ob hoc non sunt ibi tres magnitudines, sicut nec tres essentiae, sed una magnitudo in tribus. Propter quod nomina essentialia predicantur de personis singulis singillatim, et de omnibus tribus simul, non pluraliter, sed in numero singulari. /Vb 253ra/
- Secundo ibi: “Deus enim”. Declarat quod dictum est statim de nominibus essentialibus quomodo non significant aliud quam essentiam meram, et recapitulat ea quae dicta sunt, et patet  
 35 littera. Haec est sententia.

### Utrum Deus possit proprie aliquo nomine designari.

Et quia Magister incipit tractare de divinis nominibus, ideo inquirendum occurrit utrum possit Deus proprie nominari aut aliquo nomine designari.

- 40
- Et videtur quod non;** illud namque quod enarrari non potest, non videtur posse nominari aut habere proprium nomen; posset enim enarrari, si nomen haberet. Sed Deus enarrari non potest, secundum quod auctor *De causis* dicit, propositione VI, quod causa prima superior est omni narratione, et non deficiunt linguae a narratione /X 514b/ eius, nisi propter narrationem esse  
 45 ipsius. Ergo Deus non potest proprie nominari.

Praeterea, quod non potest habere dictionem, non potest habere proprium nomen; habet enim se in plus dictio quam nomen, et omne nomen est dictio. Sed Augustinus dicit, V *De Trinitate*, capitulo 1, quod Deo enuntiando nulla competit dictio. Ergo nec competit sibi nomen.

- 50 Praeterea, Dionysius dicit, 1 capitulo, *De Divinis Nominibus*, quod nec nomen eius est, nec opinio, nec sensus, nec ratio. Dicit etiam quod theologi laudant Deum tamquam innominabilem. Sed constat quod theologi laudant Deum secundum veritatem. Ergo Deus secundum veritatem non potest habere nomen.

Praeterea, Augustinus dicit, libro I *De Doctrina Christiana*, capitulo 1, quod non facile

potest inveniri nomen quod tantae excellentiae conveniat. Unde non potest dici res, sed rerum  
55 omnium causa, sed nec causa. Manifestum est autem quod si nomen rei vel causae sibi non  
competit, multo minus alia nomina sibi convenient. Ergo nominari non potest.

Praeterea, maioris ambitus est praedicamentorum denarius quam octonarius partium  
orationis. Sed Augustinus dicit, *V De Trinitate*, capitulo 11, quod Deus non continetur infra  
denarium praedicamentorum dialecticae artis. Ergo multo minus claudetur infra octonarium  
60 partium grammaticae, et per consequens non habebit nomen.

Praeterea, nomen significat substantiam cum qualitate. Sed in Deo non est substantia iuncta  
cum qualitate, quia debemus eum considerare sine quantitate magnum et sine qualitate bonum  
secundum Augustinum, *V De Trinitate*. Ergo non potest habere nomen.

Praeterea, illud quod non habet rationem [Bo ; *del.* Vb] aut definitionem nominari non  
65 potest, quia ratio quam significat nomen est sua definitio, *IV Metaphysicae*. Sed Deus definiri  
non potest, alioquin esset compositus ex genere et differentia, cuius oppositum dictum est supra.  
Ergo Deus nominari non potest.

Praeterea, omne nomen est abstractum vel concretum. Sed concreta Deo non competunt, cum  
sit summe simplex; nec abstracta, cum sit summe subsistens, abstracta vero significant per  
70 modum dependentis ad aliud. Ergo Deus nullo nomine potest significari.

Praeterea, signi ad signatum debet esse aliqua proportio. Sed inter vocem et Deum nulla est  
proportio, cum vox sit finitus, Deus infinitus. Ergo nulla vox potest imponi ad Deum  
significandum.

Praeterea, si aliquod nomen sibi competeret, nomen entis aut substantiae deberet sibi  
75 maxime convenire. Sed non competit sibi nomen substantiae, secundum Augustinum, *V De  
Trinitate*; sed nec nomen entis secundum Dionysium, dicit enim quod Deus non est ens, sed  
super ens, et super bonum. Igitur nullo /Vb 253rb/ nomine potest proprie nuncupari.

**Quod possit proprie nominari.** Sed in oppositum videtur quod Exodi 3 dicitur interroganti  
80 Moysi quod esset nomen Dei, respondit ipsemet: “Ego sum, qui sum, et hoc dices filiis Israel:  
“Qui est” misit me ad vos”. Sed ens aliquod nomen est. Ergo potest Deus aliquo nomine  
designari. /X 515a/

Praeterea, propheta dicit in Psalmo: “Quod admirabile est nomen Domini in universa terra, et  
quod a solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini”. Haec autem non essent vera, nisi  
85 Deus haberet nomen. Igitur id quod prius.

Praeterea, Augustinus dicit, *I De Trinitate*, capitulo 3, quod Deus sine ulla dubitatione est  
substantia, vel si melius appellatur essentia, quam Graeci ousiam vocant. Sed hoc verum non  
esset, nisi Deo competeret nomen substantiae, essentiae, et ousiae. Ergo Deus potest nomine  
aliquo designari.

90 **Responsio ad quaestionem.** Ad conclusionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo  
namque ad quaestionem dicitur directe quomodo Deus potest nominari. Secundo vero  
movebuntur difficultates sex circa divina nomina. Tertio quoque inquiretur de sufficientia  
nominum divinatorum.

95

### Articulus Primus

**Quomodo potest imponi dictionem ad Deum significandi [Bo ; Vb\*].** Circa primum ergo  
considerandum quod Deo potest imponi nomen proprium et significativum, quia quicquid  
contingit intelligere, contingit significare, ut Philosophus dicit, *I Perihermenias*. Contingit  
100 autem Deum ex creaturis intelligere et per viam remotionis omnium imperfectionum quae in  
creatura reperiuntur, ut quod est incorruptibilis, immutabilis, et immensus; et per viam  
eminentiae, ut quod est omnipotens et aeternus; et per viam causalitatis, ut quod est creator  
omnium, et gubernator, et rector. Ergo Deum sic intellectum contingit proportionalibus [Bo;  
propriornabilibus Vb] nominibus appellari.

105 Praeterea, omne quod habet distinctam naturam a rebus aliis, potest habere nomen, quia  
nomen significat qualitatem, hoc est propriam aliquam rationem distinctivam et naturam; non

enim sumitur hic qualitas predicamentalis, nec substantia quae est primum praedicamentum, sed substantia accipitur pro supposito et qualitas pro aliqua natura. Sed manifestum est quod Deo maxime competit esse suppositum et habere naturam. Ergo sibi maxime congruit posse significari per nomen.

110 Praeterea, omne quod potest habere sermonem longum sibi appropriatum, potest habere unicam sibi propriam dictionem; dicit enim Philosophus, VII *Metaphysicae*, quod huic sermone ‘homo albus’ potest imponi una dictio, ut vocetur tunica vel vestis, et similiter historiae Troianae imponitur unum vocabulum, et appellatur Ilias, et universaliter omni multitudini potest imponi una dictio et vox simplex illam designans. Sed manifestum est quod Deus potest habere sermonem longum sibi appropriatum, haec quidem oratio ‘actus primus’ convenit soli Deo, et similiter ‘causa [Bo; om. Vb] prima’, et ‘essentia infinita’, et sic de multis aliis. Ergo potest una /X 515b/ dictio sibi ad placitum imponi.

120 Praeterea, habens aliquem conceptum penes se, et habens aliquam vocem, potest relationem signi ad placitum fundare super vocem ipsam in ordine ad conceptum quem habet. Sed manifestum est quod genus hu- /Vb 253va/ manum habet in potestate sua varietatem sonorum et vocum, secundum quod diversimode potest litteras et elementa miscere; habet etiam penes se aliquem conceptum proprium de Deo. Ergo potuit imponere alicui sono relationem significationis et signi in ordine ad Deum, vel saltem angelus hoc potuerit vel ipsemet Deus, et sonum illum hominibus revelasse.

**Quomodo grammatica est scientia et quomodo non.** Sed his quae dicta sunt de impositione vocum ad significandum secundum placitum imponentis obviare videtur quod secundum hoc grammatica non erit scientia; scientia namque est de necessariis et impossibilibus aliter se habere. Sed grammatica non est de necessariis, sed de hiis quae sunt ad placitum, et per consequens de summe mutabilibus, cum humana voluntas maxime varietur. Ergo grammatica non erit scientia.

130 Praeterea, voluntas imponentis dictionem ad significandum aut movetur aliqua ratione aut nulla. Si aliqua, non ad placitum imponit; si vero nulla, irrationalis erit. Ergo non videtur quod vocum impositio sit ad placitum.

Praeterea, quod ‘homo’ sit dictio significans talem naturam ex hoc est quod natura illa fuit plasmata ex humo, secundum grammaticos. Ergo nominum impositio videtur sequi naturam rei, et non esse ad placitum solius imponentis.

140 His tamen non obstantibus dicendum est sicut prius, ubi considerandum quod grammatica accipi potest dupliciter. Primo quidem in ordine ad voces, et secundum hoc non est scientia, nec est eadem apud omnes; alias namque voces habet Graecus, alias Latinus et Hebraeus, unde casuum inflexiones et terminationes sunt omnino ad placitum; et quantum ad hoc grammatica est pure positiva, nihil habens de processu scientifico. Verumtamen orthographia, quae est de mixtione litterarum et sonorum ad invicem componibilium videtur sequi naturam, in quantum instrumenta hominis non sunt apta ad proferendum quamcumque mixtionem sonorum; unde in aliquibus mixtionibus est euphonia in proferendo, in aliquibus dissonantia, in aliquibus difficultas et in aliquibus impossibilitas. Secundo vero potest referri grammatica ad modos significandi, qui sequuntur modos intelligendi metaphysicos et immobiles, et secundum hoc est scientia proprie dicta, et eadem apud omnes; et talis est grammatica quae respicit congruum et incongruum, quae causantur ex modis significandi. Secundum hoc ergo patet quod nominum impositio, et vocum inflexio, et declinatio est penitus ad placitum.

155 Nec procedunt instantiae. Prima siquidem non, quia grammatica, prout est vera scientia, est de impossibilibus aliter se habere, ut dictum est. Et si dicatur quod maior pars ipsius videtur /X 516a/ esse de vocibus, ut tractatus de declinationibus nominum et coniugationibus verborum et mensuratione temporum secundum breve et longum, et de accidentibus dictionum, et ita magna pars grammaticae detruncatur ne sit scientia, dicendum quod potest dici scientia large in quantum scientia appellatur tenere memoriter res positivas et hominum instituta.

Nec etiam procedit secunda, quia /Vb 253vb/ voluntas non dicitur irrationalis ex hoc quod est praeter rationem, sed ex hoc quod est contra rationem; immo irrationabile foret ibi quaerere

- 160 rationem, ubi ratio non est; disciplinati namque hominis est tantum certitudinis quaerere in unoquoque, quantum natura rei patitur, ut Philosophus dicit in I *Ethicorum*. Sic igitur cum nulla sit ratio quare unus sonus magis imponitur uni rei quam alteri (sonus enim quilibet est indifferens, nec ex natura sua est magis aptus ad significandum unam rem quam aliam), ob hoc necesse est quod sonus ad placitum determinetur ad rem istam vel illam significandam.
- 165 Voluerunt tamen aliqui dicere quod sicut rerum quaedam sunt delectabiles, quaedam autem horribiles, ita sonorum quidam suaviter, quidam horribiliter proferuntur, et ita rebus delectabilibus sunt impositae voces suaves, horribilibus vero voces stridentes. Sed dictum istud veritatem non continet; mors namque est ultimum terribilium, et tamen dicitur ‘parca’, quae vox non est magis horrenda quam ‘marta’, quae imponitur satis placabili rei.
- 170 Non procedit etiam tertia, quia in dictionibus derivativis, cuiusmodi est homo, potest aliqua ratio impositionis nominibus assignari, in primitivis vero nulla. Sed nec etiam est ratio nisi placitum quare alicui rei impositum est nomen primitivum, et alteri derivativum; posset enim quaelibet res appellari nomine primitivo, si placuisset imponenti, quamvis res innotescant nobis ex suis operationibus. Propter quod ex nominibus operationum derivantur nomina rerum. Unde
- 175 serpens dicitur a serpendo, et sic de similibus.
- Patet igitur quomodo omnis sonus est indifferens ad significandum omnem rem conceptibilem, etiam rem infinitam quae Deus est. Propter quod potest proprio nomine designari. Et est ita de facto, quia quandocumque datur aliquod praeceptum proprium alicuius, quod nullo modo convenit alteri, necesse est quod illud de quo datur praeceptum proprio
- 180 nomine appelletur. Sed in lege praeceptum est: “Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies”, Deuteronomii 10. Ergo necesse est quod Deus habeat nomen proprium et discretum. In quo primus articulus terminatur.

### Articulus Secundus

- 185 **Ubi ponuntur sex difficultates circa nomina divina, et prima an significant privativum vel positivum conceptum circa Deum.** Circa secundum vero considerandum quod nomina divina difficultatem afferunt quoad sex inquisitiones. /X 516b/ Prima quidem an expriment conceptum positivum vel privativum. Secunda vero an conceptum simplicem vel compositum. Tertia quoque an conceptum univocum an analogum quantum ad nomina quiditativa, qualia sunt ens, substantia, aliquid, et huiusmodi. Quarta autem de qualitativis nominibus, qualia sunt bonus, sapiens, iustus, et huiusmodi, an sint univoca vel analogia Deo et creaturae. Quinta vero an talia nomina in divinis sint synonyma. Sexta quoque an sit aliquod nomen quod proprie exprimat essentiam divinam.
- In prima ergo difficultate dixerunt aliqui quod nomina quae dicuntur de Deo expriment
- 195 meram negationem circa ipsum et /Vb 254ra/ non aliquid positivum, ita ut cum dicitur “Deus bonus”, non intelligatur quod sit in Deo formaliter bonitas, sed per hoc removetur ab eo oppositum bonitatis. Dicit namque Dionysius, 2 capitulo *Caelestis Hierarchiae*, quod negationes de Deo sunt verae, affirmationes vero incompactae, hoc est indebitae. Sed hoc non esset verum, si huiusmodi nomina significarent circa Deum aliquid positivum. Ergo non
- 200 significant nisi negationem omnium imperfectionum.
- Praeterea, Rabbi Moyses dicit quod per nomina divina non importatur quid Deus sit, sed magis quid non sit. Sed si significarent aliquid positivum, per ea posset sciri de Deo quid est. Igitur id quod prius.
- Praeterea, Damascenus dicit, libro I, capitulo 12, quod oportet singulum eorum quae de Deo
- 205 dicuntur, non quidem secundum substantiam significare, sed quod non est ostendere, aut habitudinem quandam, aut aliquid eorum a quibus distinguitur, aut aliquid eorum quae assequuntur naturam vel operationem. Sed si nomina ista significarent aliquid positivum existens formaliter circa Deum, non esset verum hoc dictum Damasceni. Ergo illud quod supra.
- Praeterea, nihil quod viator concipiat potest esse formaliter in Deo, cum omnis conceptus
- 210 viatoris assumatur a phantasmatis corporalium creaturarum; nihil autem existens formaliter in creatura potest esse formaliter in Deo, quia omne quod est in creatura imperfectum est, et creatum aequivoce a Deo. Unde manifestum est quod nullus conceptus viatoris est in Deo

formaliter. Sed constat quod omne nomen, quo utitur viator, exprimit conceptus qui habentur in via. Ergo nullum tale nomen significat aliquid positivum et proprie dictum de Deo. Unde  
 215 dixerunt isti quod Deus non est proprie, nec est substantia, nec bonus, nec sapiens, sed aliquid excellentius istis; et attributio istorum nominum non est ad aliquid affirmandum, sed potius ad tollendum insipientiam, malitiam, nihilitem, et ceteras imperfectiones.

Sed hic modus dicendi est impossibilis, hoc quippe nomen ‘Deus’ non potest meram negationem importare; nulla namque mera negatio est adoranda adoratione latriae, sed aliquid  
 220 quod concipimus prolato hoc nomine ‘Deus’ adoratione latriae praecipimur adorare. Ergo hoc nomine /X 517a/ audito non concipimus meram negationem.

Praeterea, nulla negatio est trina in personis. Sed hoc quod a nobis concipitur audito nomine Dei vere trinum est in personis. Igitur id quod prius.

Praeterea, nulli purae negationi potest attribui quod sit actus purus, aut quod sit omnipotens,  
 225 aut quod sit immensa et infinita. Sed totum hoc attribuitur ei quod concipimus audito nomine Dei. Ergo concipimus aliquid positivum.

Praeterea, puram negationem non summe praecipimur diligere, nec in pura negatione sperare; diligimus autem et speramus in eo quod concipimus, cum profertur hoc nomen ‘Deus’. Ergo id quod prius.

230 Praeterea, Augustinus expresse quaerit V *De Trinitate*: “Quis magis est quam ille, qui dixit famulo suo Moysi: ‘Ego sum, qui sum’, et: ‘Qui est, misit me ad vos’”. Sed manifestum est quod creaturae positivae sunt ens. Ergo multo fortius et magis proprie Deus erit.

Nec valent motiva ducta in oppositum. Primum siquidem non, /Vb 254rb/ quia Dionysius intendit innuere difficultatem divinae comprehensionis et imperfectionem nostri modi  
 235 intelligendi. Non autem intendit quin de Deo aliquid possimus comprehendere, quamvis valde confuse et imperfecte. Et per idem patet ad dictum Rabbi Moysi et Damasceni.

Non valet etiam quartum, quoniam ex creaturis potest assumi aliquis conceptus confusus qui proprie Deo potest attribui, quamvis non conceptus determinatus et clarus, sicut de bono dicit Augustinus: “Bonum hoc et bonum illud. Tolle hoc et tolle illud, et considera bonum simpliciter  
 240 si potes, et habes Deum”. Qualis autem sit iste conceptus confusus, magis inferius apparebit.

**An nomina divina exprimant conceptum simplicem vel compositum. Opinio Thomae, prima parte, quaestione 12, articulo 12.** In secunda vero difficultate dixerunt aliqui quod de Deo non possumus habere conceptum simplicem simpliciter, sed quasi compositum ex duobus.  
 245 Unde possumus ex effectibus ad hoc produci ut cognoscamus de Deo an est, et habitudinem ipsius ad creaturas, ut quod omnium prima causa est. Sed quod eius formam simplicem cognoscamus, sciendo quid est, impossibile est.

Pro hac autem opinione posset adduci ratio, quia omnis conceptus qui habetur de Deo ab intellectu viatoris, continetur in creatura formaliter aut virtualiter. Sed nullus conceptus simplex  
 250 proprius Deo potest in creatura virtualiter contineri, quia tunc conceptus ille esset imperfectior conceptu creaturae in quo virtualiter continetur, cum effectus aequivocus sit imperfectior sua causa. Sed nec formaliter, ita quod sit proprius Deo; iam enim esset communis creaturae, ex quo formaliter reperitur in ea. Relinquitur ergo quod nullum conceptum simplicem Deo proprium possimus ex creaturis habere, et ita hoc nomen ‘Deus’ non exprimit unum simplex, sed aliquos  
 255 duos conceptus qui ex coniunctione unius cum altero appropriantur Deo, utpote causam primam, vel actum purum, aut aliquid simile. /X 517b/

Sed iste modus stare non potest. Quandocumque enim per aliquas duas dictiones idem exprimitur, non est rationabilis quaestio de inhaerentia unius ad alteram; non enim rationabiliter quaeritur utrum lapis sit petra, quia in simplicibus non est quaestio, ut Philosophus, VII  
 260 *Metaphysicae*, dicit. Unde quaerens idem de eodem, nihil omnino quaerit. Sed manifestum est quod omnes dictiones exprimentes conceptum compositum circa Deum enuntiantur et inquiruntur de conceptu significato per istud nomen ‘Deus’; quaeritur namque utrum Deus sit ens infinitum, vel actus purus, vel causa prima, et sic de aliis. Ergo necesse est quod hoc nomen ‘Deus’ exprimat intellectui viatoris aliquem conceptum simplicem de Deo.

265 Nec valet ratio, quia conceptus ille simplex confusus est, nec est nisi individuum entis sive

conceptus entis particulatus et individuatus, qualis potest haberi ex creaturis, sicut magis apparebit in sexta difficultate. Unde dicendum est quod aliquod nomen divinum significat conceptum simplicem et positivum.

270 **An nomina quiditativa, cuiusmodi sunt ens, aliquid, et substantia, sint univoca Deo et creaturae, an analogia. Opinio Scoti. /Vb 254va/** In tertia vero difficultate dixerunt aliqui quod nomina quiditativa, quae respondentur ad interrogationem factam per quid, utpote ens vel aliquid (quaerenti enim ‘quid est Deus’, respondetur ‘aliquid’ vel ‘ens’); huiusmodi, inquam, nomina exprimunt unam aliquam rationem communem Deo et creaturis in ipsis formaliter  
275 existentem. Quae quidem opinio ostensum est alias quod stare non potest; quodcumque enim aliquod nomen dicitur de duobus, de uno quidem tamquam de exemplari, de reliquo vero tamquam de exemplato, impossibile est quod univoce dicatur de illis, ut ratio lapidis de lapideitate reali et specie lapidis non dicitur univoce. Et similiter domus extra et domus in mente artificis loquendo de specie domus non sunt univoce domus. Sed probatum est supra quod Deus  
280 est tota entitas eminenter subsistens per modum exemplaris, creatura vero omnis est entitas diminuta et exemplata. Ergo impossibile est quod dicantur ens secundum unam rationem. Unde sicut species albedinis, quae est albedo diminuta, non dicitur secundum eandem rationem albedo secundum quam vera res albedinis existens extra, sic nec entitas diminuta, cuiusmodi est entitas creaturae, dici potest secundum eandem rationem secundum quam dicitur tota entitas subsistens,  
285 quae Deus est. Et si dicatur quod ratio entis communis sit Deo et creaturae in utroque formaliter existens, sequitur quod ratio entis, quae est ratio diminuta et exemplata, sit eadem cum ratione exemplante, nec potest abstrahi ratio communis quae formaliter existat in creatura et formaliter in Deo, ut patet.

Praeterea, quod nullam rationem unam dicit in se, circa nullum aliud praedicat unam  
290 rationem. Sed declaratum est supra quod conceptus entis non dicit aliquam rationem in actu, sed dicit omnes in potentia et confuse, unde aggregat omnes rationes indistincte, et nullam habet distincte. Ergo cum praedicatur de Deo et de creatura, non dicitur secundum unam aliquam rationem. /X 518a/

Est ergo considerandum quod ens et aliquid sic dicuntur de Deo et creatura quod dum  
295 exemplificantur per rationem creaturae aut rationem Dei, totaliter coincidunt in eorum proprias rationes nullo addito; non est enim ratio entitatis in lapide aliud quam mera ratio lapideitatis, nec in Deo nisi pura ratio deitatis, nullo penitus addito. Hae autem duae habent se sicut tota entitas exemplaris eminenter subsistens et quaedam entitas diminuta et partialis et exemplata. Et secundum hoc patet quod dicuntur aequivoce ens, sicut species albedinis dicitur aequivoce  
300 albedo, vel similitudo lapidis aequivoce dicitur lapis. Nihilominus hoc non obstante entitas creaturae et tota entitas subsistens, quae Deus est, claduntur infra unum conceptum indistinctum, non quidem per aliquam unam rationem quam participant, sed per rationes proprias simul et confuse sub indistinctione conceptas, sicut supra dum ageretur de ente extitit declaratum.

305 De substantia vero, utrum dicatur secundum unam rationem de Deo et creatura, sicut patet ex praecedentibus; supra dictum est enim in quaestione de simplicitate Dei quod conceptus substantiae praedicamentalis, qui non est aliud quam quoddam qualequid (est enim conceptus communis et similitudinarius) nullo modo competit Deo, quocirca si substantia praedicatur de Deo, aut hoc est in quantum significat idem quod essentia, et secundum hoc /Vb 254vb/ non  
310 dicetur [Bo; dicatur Vb] secundum unam aliquam rationem, sicut nec ens; aut in quantum significat idem quod suppositum, sicut accipit grammaticus substantiam, et sicut primae substantiae dicuntur substantia, et secundum hoc idem est substantia quod persona seu existens per se in tertio modo per se. Et idcirco supersedendum est usque ad materiam de persona quae tractabitur infra.

315

**An nomina qualitativa seu attributalia dicantur univoce de Deo et creatura. Opinio Scoti.** In quarta quoque difficultate dixerunt aliqui quod sapientia, et iustitia, et cetera attributa dicuntur formaliter de Deo et creatura secundum unum communem conceptum, et secundum

univocam rationem; omnis namque conceptus a quo potest removeri quaelibet imperfectio, si  
 320 dicit perfectionem simpliciter, poni debet in Deo; constat enim quod omnis perfectio simpliciter  
 est in Deo secundum regulam Anselmi *Monologion* XV positam. Sed in creatura reperitur  
 aliqua perfectio simpliciter, utpote bonitas vel iustitia, a qua quidem potest per intellectum  
 separari quaelibet imperfectio et secerni, sicut Augustinus docet a ratione boni tollere hoc et  
 325 illud, ut habeatur ratio boni simpliciter. Ergo aliqua ratio formaliter est in creatura perfectionem  
 dicens, imperfectioni tamen coniuncta, quae semota omni imperfectione formaliter reperitur in  
 Deo.

Praeterea, ratio veri videtur consistere in posse moveri intellectum, et ratio boni in posse  
 allicere affectum. Sed ista dicuntur de Deo et creatura secundum eandem rationem. Ergo  
 perfectiones attributales dicuntur secundum eandem rationem de Deo et creatura formaliter, ut  
 330 videtur. /X 518b/

**Opinio Girardi, Quolibet I, quaestione 1.** Dixerunt vero alii quod attributalia nomina non  
 dicuntur univoce de Deo et creatura; causa namque per se et causatum per se non univocantur,  
 quia qua ratione unum univocatorum esset causa, eadem ratione et aliud. Sed sapientia Dei est  
 335 causa per se effectiva vel exemplaris totius sapientiae creatae, angelicae et humanae, et haec  
 causalitas pertinet ad rationem formalem sapientiae, quia eo formaliter est aliquid tale in se et  
 causativum similis in alio. Ergo ratio divinae sapientiae et ratio sapientiae angelicae vel  
 humanae non sunt univocae.

Praeterea, univoca ad invicem parificantur, sicut patet quod ignis aequatur igni in calore. Sed  
 340 manifestum est quod sapientia creaturae parificari non potest sapientiae increatae. Igitur id quod  
 prius.

Praeterea, quandocumque aliqua sunt unum et idem re, si unum potest cognosci ex creaturis  
 in speciali, videtur quod reliquum cognosci possit, alias non esset idem. Sed constat quod  
 sapientia et deitas sunt idem realiter in Deo. Constat etiam quod, si sapientia creata univocatur  
 345 illi, quod ex cognitione creatae sapientiae poterit deveniri in specificam rationem sapientiae  
 increatae, quoniam haec univocatio est secundum rationem speciei specialissimae, non generis  
 aut alicuius communioris; est enim secundum rationem formalem indivisibilem per alias  
 rationes formales. Ergo si sapientia creata et increata sunt univocae et eiusdem rationis, poterit  
 divina essentia in speciali secundum suam realitatem ex creaturis cognosci, quod erroneum est.

Praeterea, impossibile est quod omnia quae sunt in Deo univocentur creaturae, cum unum sit  
 350 finitum, reliquum infinitum, et unum sit defectivum atque adnihilabile, reliquum vero  
 necessarium et aeternum; talia autem videntur equivocationem inducere, sicut Philosophus dicit,  
*X Metaphysicae* quod corruptibili nihil est commune univocum. Sed secundum is- /Vb 255ra/  
 tum modum dicendi omnia quae sunt in Deo videntur univocari creaturis, quia et perfectiones  
 355 attributales et relationes reales; quamvis enim perfectionem non dicant, sunt tamen respectus  
 formaliter, sicut et relationes creatae; et iterum substantia, quia secundum suam formalem  
 rationem imperfectionem importat. Ergo impossibile est quod perfectiones attributales sint  
 eiusdem rationis in Deo et in creatura.

Praeterea, ratio sapientiae, quae communis est Deo et creaturis, vel est ens per se vel in alio,  
 360 vel ad aliquid, vel commune istis. Sed non potest poni primum, quia secundum hoc non  
 conveniet creaturae, cum sapientia creata non sit subsistens per se. Nec secundum, quia non  
 competeret divinae sapientiae, quae non est ens inhaerens, aut in alio existens. Nec tertium, quia  
 tunc nec creatae nec increatae sapientiae competeret illa ratio, cum neutra sit formaliter relativa.  
 Nec potest poni quartum, quia istis tribus nihil est commune univocum, nisi contingat quod  
 365 omnia univocentur. Igitur creata et increata sapientia non sunt eiusdem rationis. /X 519a/

**Quid dicendum secundum veritatem.** Restat ergo nunc dicere quod videtur, ubi  
 considerandum quod nomina attributalia quae sunt quasi qualitativa possunt accipi quoad  
 conceptum quem exprimunt principaliter et in recto, qui quidem totaliter indeterminatus est et  
 370 totus conceptus entis, sicut patet de iustitia quae exprimit quod quis reddit unicuique quod suum  
 est; illud enim quod importatur per illud quo non est aliquo modo determinatum, nec re nec

ratione, sed coincidere potest in omnem rem et rationem, sicut supra probatum est, cum ageretur de attributis. Vel possunt referri ad conceptum quem exprimunt in obliquo, qui quidem est certum aliquod connotatum, utpote reddere unicuique quod suum est, importatur oblique per  
 375 attributum iustitiae, et subvenire alienae miseriae per nomen misericordiae. Si igitur attributa primo modo accipiantur, verum dicit secunda opinio, quod non dicuntur secundum unam rationem de Deo et creatura, pro eo quod nullam rationem determinatam important, sed omnes rationes implicite. Et ideo ratio sapientiae coincidit in deitatem, et re et ratione, dum applicatur ad Deum, et in qualitatem existentem in animo sapientis, dum applicatur ad creaturam. Et  
 380 secundum hoc procedunt motiva opinionis: quod sapientia Dei est causa, sapientia vero creaturae est causata, illa exemplaris et ista exemplata; illa subsistens, ista inhaerens; illa deitas formaliter nullo addito reali aut rationis intrinsece, ista qualitas etiam nullo addito. Si vero attributalia nomina referantur ad certum connotatum quod exprimunt in obliquo, sic verum dicit opinio prima, quod connotata de divina iustitia vel sapientia eiusdem rationis sunt cum  
 385 connotatis a iustitia vel sapientia creaturae; redditio namque eius quod suum est vel relevatio miseriae unius rationis est prout est a Deo et prout est ab homine misericordiae vel iusto, quamvis multo excellentius fiant ista a Deo. Unde secundum hoc procedunt motiva opinionis primae; non est enim aliqua ratio in creatura quae appelletur bonitas vel iustitia, a quo possit omnis imperfectio removeri, sic quod illa remota quod remanet sit perfectio pura communis  
 390 Deo et creaturae – sed id quod est commune est conceptus indeterminatissimi- /Vb 255rb/ mus nullam rationem explicite importans principaliter et in recto, sed tantum certum connotatum, sicut dictum est saepe.

Nec obviat, si quaeratur de nomine attributali utrum significet utrumque conceptum aut alterum tantum; si enim utrumque, non significabit unum, sed tantum alterum; si vero alterum,  
 395 illud vel erit connotatum, et tunc habet intentum prima opinio, vel illud erit quod concipitur principaliter et in recto, et tunc habebit intentum opinio secunda. Hoc siquidem non obsistit, quia dicendum est quod utrumque importat, unum tamen in recto et reliquum in obliquo. Nec est acervus, pro eo quod unico actu /X 519b/ intellectus concipitur totum significatum attributi unius; cadit namque unus et idem actus simplicis intellectionis super conceptum indeterminatum  
 400 directe, super connotatum vero indirecte absque relatione media reali vel rationis, sicut cum dicitur caro hominis, cadit apprehensio intellectus super carnem in recto et super hominem in obliquo absque respectu medio, ut Philosophus innuit in *Praedicamentis*, cum loquitur de relativis secundum dici quae nullo modo sunt relativa in esse, cuiusmodi sunt substantiae partes et multa alia absoluta; unde conceptus connotativus exprimitur per nomina relativa secundum  
 405 dici, et nullo modo secundum esse.

**An nomina dicta de Deo sint synonyma.** In quinta autem difficultate diversi diversimode nituntur tollere ne sint synonyma nomina divina. Qui enim posuerunt attributa distingui ratione propter diversas conceptiones quas intellectus noster format de Deo ex proportionalibus  
 410 perfectionibus procedentibus ab ipso in creaturas, quae quidem perfectiones in Deo existunt unitae et simpliciter, isti dixerunt consequenter quod nomina Deo attributa, licet significant unam rem, tamen quia significant eam sub rationibus diversis et multis, non sunt synonyma. Qui vero posuerunt ipsa distingui per respectum ad intra dixerunt ipsa non esse synonyma, pro eo quod eandem rem significant sub diversis rationibus respectivis. Qui vero posuerunt ea distingui  
 415 ex natura rei formaliter, consequenter dixerunt nomina non esse synonyma, pro eo quod exprimunt diversa formaliter, quamvis idem realiter.

Sed quia nullum istorum stare potest, ut declaratum est supra, dicendum est quod nomina divina, ideo non sunt synonyma, quod diversa significant connotative et in obliquo, et quia conceptus indeterminatus quem dicunt formaliter et in recto aptus natus est per diversas rationes  
 420 specificari, et coincidere in aliud et aliud ratione. Ubi considerandum quod nomen potest imponi ad aliquid significandum ab alio dupliciter. Uno modo ut illud aliud nullo modo significetur, sed sit ratio impositionis, ut ‘petra’ et ‘lapis’ imponuntur ad significandum unum et idem, sed ‘petra’ imponitur a firmitate, ‘lapis’ vero a laesione pedis, et talis alietas non tollit quin nomina sint synonyma. Alio modo sic nomina imponuntur ab aliquo alio quod illud aliud clauditur in



425 significato, saltem indirecte et in obliquo, et istud tollit ne nomina sint synonyma. Est tamen  
 ulterius distinguendum, quia vel talia significant unum et idem in recto in speciali et expresse ex  
 sua im- /Vb 255va/ positione, quamvis plura significant in obliquo, ut intellectus et voluntas et  
 potentiae animae significant idem re et ratione in recto, quia essentiam animae, quamvis  
 intellectus connotet intelligere in obliquo, et voluntas exprimat velle vel talia, non imponuntur  
 430 ad significandum in recto aliquod unum re vel unam aliquam rationem in speciali, ut saepe  
 dictum est de sapientia et iustitia, sed ad aliquem conceptum indeterminatissimum et confusum  
 explicabilem per rationes speciales, in quas /X 520a/ totaliter coincidere potest. Et adhuc hoc  
 contingit dupliciter: uno modo, quod tales conceptus semper coindicant in eandem rationem, et  
 specificentur per idem, sicut bonitas et veritas coincidunt in eandem rem et rationem, pro quanto  
 435 omnis res et omnis ratio est vera et bona; alio modo quod tales conceptus non semper  
 coincidunt, ut sapientia et iustitia non coincidunt in eandem qualitatem, dum applicantur ad  
 creaturas, quamvis in eandem rationem deitatis coincidunt, dum adaptantur ad Deum. Sic igitur  
 patet quod nomina divina non sunt synonyma propter rationem iam dictam.

Sed his quae dicta sunt obviare videtur quod nomina connotativa non videntur proprie dici.  
 440 Et secundum hoc Deus non erit proprie sapiens aut proprie iustus, sed tantum erit iustus aut  
 sapiens in habitudine ad creaturas, et redibit illa opinio quae ponebat nomina ista esse imposita  
 ad significandum habitudinem Dei ad creaturas. Sed haec opinio dimissa est communiter a  
 doctoribus tamquam omnino irrationabilis. Ergo et illa irrationabilis est de nominibus  
 connotativis.

445 Praeterea, secundum istum modum dicendi conceptus entis clauditur in quolibet attributo  
 secundum totum ambitum suum. Ergo videtur quod conceptus boni et entis saltem erunt  
 synonymi cum ente, et similiter conceptus omnium attributorum erunt synonymi cum ente.

Praeterea, illa videntur distingui de quibus contradictoria verificari possunt. Sed de attributis  
 verificantur contradictoria, in quantum unum connotat quod aliud non connotat; iustitia enim  
 450 connotat reddere alteri quod suum est, misericordia vero non connotat illud, sed alterius  
 miseriam relevare. Ergo, ut videtur, attributalia nomina exprimunt distinctas rationes in se ex  
 parte Dei formaliter et intrinsece se tenentes, et non solum connotata diversa.

His tamen non obstantibus dicendum est sicut prius. Nec valet prima instantia, quoniam non  
 ponentes huiusmodi nomina importare habitudinem Dei ad creaturas, intellexerunt huiusmodi  
 455 habitudinem in ordine ad creatas perfectiones similes et proportionales, ut quod Deus diceretur  
 bonus, quia ab eo profluit bonitas creaturae, et sapiens, quia est causa sapientiae. Hoc autem  
 stare non potest, tum quia aequae diceretur corpus, quia est causa corporis, vel calidus, quia  
 causa caloris; tum quia non esset differentia inter nomina propria perfectionem importantia,  
 qualia sunt ‘bonus’ et ‘iustus’, et nomina translative, cuiusmodi sunt ‘leo’ et ‘lapis’. Unde  
 460 dicendum est quod huiusmodi nomina non important talem habitudinem, sed sunt vere  
 connotativa [Bo] in Deo, sicut et in creatura. Propter hoc enim illa qualitas quae est in mente  
 iusti, iustitia /Vb 255vb/ appellatur, quia per eam reddit iustus unicuique quod suum est; et per  
 rationem eandem deitas est in Deo iustitia, nullo alio addito, cum per eam reddat unicuique  
 iuxta opera sua.

465 Non valet etiam secunda; dicendum est enim quod conceptus boni claudit in se conceptum  
 entis, et addit determinatum connotatum, ratione cuius non est idem conceptus cum illo, quia  
 conceptus connexus aggregans unum in recto et aliud in obliquo non est omnino idem cum  
 conceptu simplici et absoluto. /X 520b/

Non valet etiam tertia, quia connotare et non connotare non est aliud quam connectere  
 470 aliquid in obliquo et non connectere. Unde iustitia Dei est deitas, prout sibi connectitur in  
 obliquo reddere unicuique quod suum est, et misericordia Dei [om. Vb] est deitas eadem, prout  
 relevatio miseriae sibi connectitur in obliquo. Ista igitur contradictio non arguit distinctionem  
 intrinsecam et formalem, sed tantummodo extrinsecam et connotatorum, ut patet.

Sic igitur patet quod attributalia nomina synonyma non sunt, et posset ratio sic formari:  
 475 quandocumque aliqui conceptus sic se habent quod accidit uni, quod coincidat in eandem  
 rationem cum alio, illi non sunt synonymi, nec nomina illos exprimentia debent reputari  
 synonyma. Sed conceptui generali et indeterminato sapientiae accidit quod coincidat in idem

cum conceptu iustitiae; alias si non accideret, sed coincideret per se et ex propria ratione, sequeretur quod eadem qualitas esset sapientia et iustitia in creatura. Unde quamvis in Deo  
 480 coincident in rationem deitatis, nihilominus hoc non est ex ratione sapientiae et iustitiae in communi, totum autem hoc faciunt connotata diversa, quia accidit eis quod ab eodem connotentur. Ergo ratione connotatorum tollitur ne conceptus sint synonymi et ne nomina sint synonyma, et per idem tollitur ne praedicatio unius de altero sit per se et formaliter in primo modo.

485

**An sit aliquod nomen significans propriam Dei essentiam absque aliqua operatione. Opinio Henrici in Summa.** In sexta demum difficultate dixerunt aliqui quod nullum nomen significat Dei essentiam propriam et distinctam absque omni extrinseco. Si enim aliquod nomen significaret Dei essentiam propriam et distinctam absque omni operatione, maxime videretur de  
 490 hoc nomine ‘Deus’. Sed secundum Damascenum, libro III, capitulo 12, ‘theos’ Graece, quod est ‘Deus’ Latine, uno modo dicitur a ‘terin’ [Vb; thetin Bo] quod est ‘fovere’, quia omnia fovet; alio modo a ‘thomi’ quod est ‘ardere’, quia Deus noster ignis consumens est – consumens, inquam, omnem malitiam; et alio modo a ‘theaste’ quod est videre vel considerare, quoniam ipsum nulla latent, et omnium ipse est contemplator. Ex quibus patet quod hoc nomen ‘Deus’  
 495 imponitur ad significandum divinas operationes. Ergo nullum nomen significat Dei substantiam distinctam et praecisam.

Praeterea, nulla res est a nobis nominabilis nisi quantum est cognoscibilis; voces enim “sunt notae earum quae sunt in anima passionum”, ut dicit Philosophus I *Perihermeneias*, et “verbum quod foris sonat signum est verbi quod intus lucet”, secundum Augustinum, V *De trinitate*,  
 500 capitulo 11. Sed manifestum est quod Deus secundum essentiam propriam et distinctam non est conceptibilis ab intellectu viatoris. Unde Chrysostomus, /Vb 256ra/ exponens illud Ioannis I, “Deum nemo vidit umquam”, dicit quod non solum Prophetae, immo nec angeli, vident Deum intellectuali /X 521a/ cognitione. Ergo Dei essentia propria et distincta non est a nobis nominabilis, sed tantum secundum operationes quae nobis notae sunt nomina imponuntur.

505 Praeterea, Dionysius dicit, *De Divinis Nominibus*, capitulo 1, quod omnia quae theologi laudant de Deo distinguuntur secundum processus divinos in creaturas. Sed Deus in creaturas procedit per operationes. Ergo omnes divinae nominationes operationem significant, ut videtur.

Praeterea, Damascenus dicit, libro I, capitulo 12 quod singulum eorum quae dicuntur de Deo, oportet non quid est secundum substantiam significare, sed quid non est ostendere, aut  
 510 habitudinem quandam, aut aliquid eorum quae assequuntur naturam vel operationem. Sed si esset aliquod nomen significans Dei essentiam propriam et distinctam, illud significaret quid est Deus secundum substantiam. Igitur id quod prius.

**Opinio Scoti.** Dixerunt autem alii primo quidem quod aliquod nomen est significans Dei  
 515 substantiam propriam et distinctam, quod patet ex dicto Ambrosii, in prologo libri II *De trinitate*, qui dicit quod quaedam nomina perspicuam divinae maiestatis exprimunt veritatem; et iterum patet auctoritate Augustini, XV *De Trinitate*, capitulo 5, qui dicit quod, cum dicitur Deus “sapiens, potens, speciosus, iustus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium [Bo; om. Vb] novissimum quod posui, quasi tantummodo videtur significare substantiam.” Et adhuc patet ex  
 520 hoc quod ait Rabbi Moyses, quod omnia nomina Creatoris quae inveniuntur in libris sanctis sunt assumpta ab operibus praeter unum nomen quod est appropriatum ei, scilicet Tetragrammaton; et ideo vocatur nomen separatum, quia significat substantiam creatoris significatione pura in qua non est participatio.

Secundo vero dixerunt quod nomen potest imponi ad significandum distincte et proprie illud  
 525 quod non intelligit intellectus noster, quod potest declarari quadruplici exemplo. Primo quidem quia intellectus viatoris imponit nomina substantiis rerum corporalium, utpote pani et lapidi, et tamen proprias rationes substantiarum non cognoscit, alioquin posset cognoscere praesentiam et absentiam earundem, et sciret quando in sacramento altaris abest substantia panis, et similiter quando aderat ante consecrationem, cuius oppositum experimur. Secundo vero quia sicut voces  
 530 sunt notae earum passionum quae sunt in anima, ita characteres litterarum signa sunt

designantia voces. Manifestum est autem quod characteres litterarum Hebraearum possent imponi ab aliquo Latino Hebraeas litteras ignorante; posset enim dicere Latinus alicui Hebraeo primam, secundam, et quartam litteram coniunge, et huic voci quam proferre nescio, immo penitus ignoro, characteres istos designativos impono. Non dubium quod tunc imposuisset  
 535 Latinus signum quod exprimeret illud quod ipse formare nescit, sed alius. Pari ergo ratione potest vocem imponere viator ad significandum Dei nudam essentiam quam non novit. Tertio /X 521b/ quoque exemplo patet idem de patre alicuius hominis noti, qui tamen secundum suam substantiam sit ignotus; posset enim patri alicuius /Vb 256rb/ ignoto secundum substantiam imponi nomen quod vocaretur Paulus vel Petrus, et tunc quilibet, qui sciret hoc, audito nomine  
 540 Petri vel Pauli, duceretur in notitiam propriae personae illius. Similiter ergo potest viator nudae Dei essentiae imponere proprium nomen, quam siquidem non cognoscit, et tamen angeli et ceteri beati, audito illo nomine, deducentur in cognitionem propriae substantiae Dei. Quarto demum exemplo patet idem de nomine Dei Tetragrammaton, de quo loquitur Rabbi Moyses et Isidorus, VII *Etymologiarum*, capitulo 1, quod siquidem cum quatuor litteris scribebatur in  
 545 Hebraeo, scilicet ‘i’hot’, ‘het’, ‘wau’, ‘he’, quibus correspondent latinae litterae quatuor, videlicet ‘i’ ‘e’ ‘u’ ‘h’, quae quidem litterae erant omnino insyllabicabiles, et nullum sonum ex condicione sua reddentes, et tamen praesentabant quendam sonum quem per successiones sacerdotum unus alteri relinquebat, et legebatur a maiori sacerdote in die ieiunii. Manifestum est igitur quod illae litterae significabant vocem ignotam, et pari ratione vox illa significare poterat  
 550 substantiam Dei ignotam.

Sic igitur colligitur ex praedictis quod aliquod nomen potest significare Dei essentiam nudam et propriam, vel quia impositum ab eo, qui novit illam, utpote a Deo vel angelo, et deinceps traditum viatori; vel quia ipsemet viator imponit ex operationibus et effectibus manuctus, eo modo quo substantiis rerum propriis, quas non novit, imponit nomina ex  
 555 proprietatibus et accidentibus sibi notis. Unde propositio dicens quod nulli rei potest nomen imponi distinctius quam intelligatur omnino est falsa [*om. Vb*].

**Quid dicendum secundum veritatem, et primo quod aliud est distinctum cognoscere et aliud distincte cognoscere.** Restat igitur nunc dicere secundum veritatem quod videtur sub  
 560 triplici propositione. Prima quidem quod aliud est cognoscere rationem aliquam propriam et distinctam, referendo ad cognitum distinctionem et proprietatem, et aliud cognoscere proprie et distincte, cognitione videlicet propria et distincta, referendo proprietatem et distinctionem ad cognoscendi modum et cognitionis actum. Unde possibile est quod intellectus apprehendat alicuius rationem propriam et distinctam, et tamen non apprehensione propria et distincta. Non  
 565 est enim minoris efficaciae intellectus quam sensus. Sed manifestum est quod visus potest attingere colorem aliquem qui proprius est et distinctus, et tamen ipsum attinget visione confusa, nec propria aut distinctiva, sicut patet in noctua aut habentibus oculos debiles. Ergo intellectus potest cognitione confusa, nec distinctiva apprehendere rationem propriam et distinctam.

Praeterea, loquens de propria et distincta ratione cuiuscumque, sive Dei sive alterius rei, /X  
 570 522a/ non dubium quod illam distinctam et propriam apprehendit; formans enim aliquam rationem aut syllogismum aut propositionem de ratione propria alicuius, necesse est quod intelligat terminos, alias loqueretur quod non intelligit. Unde dicens quod Deus habet aliquam quiditativam rationem distinctam per quam ab omni creatura secernitur, per /Vb 256va/  
 575 necessitatem in mente sua format conceptum de propria et distincta ratione Dei. Sed manifestum est quod talis non apprehendit rationem deitatis proprie et distincte, sed tantum confuse et indistincte, alias esset beatus. Ergo possibile est rationem distinctam per quam ab omni creatura et propriam apprehendi notitia impropria nec distinctiva.

**Quod impossibile est aliquem intellectum nomen imponere significans aliquam rationem distinctam, nisi illam intelligat propriam et distinctam, contra secundam opinionem.**  
 580 Secunda vero propositio est quod nullus intellectus potest imponere aliquod nomen ad significandum aliquam rationem propriam et distinctam nisi ipsam distinctam et propriam apprehendat. Ubi considerandum quod distinctio praecedens locum non habet in nominum

significatione; non est enim aliud significare distinctum et aliud significare distincte, quia relatio  
 585 signi non est capax confusionis aut indistinctionis formaliter, sed tota distinctio vel indistinctio  
 sumitur ex parte significati. Unde dictio quae imponitur ad significandum distinctum, dicitur  
 significare distincte. Non sic autem de intellectione, quae utique potest esse confusa de aliquo  
 distincto.

Quod ergo non possit intellectus imponere nomen ad significandum rationem aliquam  
 590 propriam et distinctam, nisi illam intelligat, patet, quia non potest aliquid esse obiectum  
 voluntatis quin sit conceptum ab intellectu; bonum enim apprehensum movet voluntatem ut  
 Philosophus dicit, III *Ethicorum*. Sed constat quod omne significatum est obiectum voluntatis,  
 et beneplaciti imponentis nomen et instituentis vocem ad illud significandum, alias nominum  
 impositio non esset ad placitum. Ergo omne quod significatur obiicitur intellectui imponentis, et  
 595 sic propria ratio et distincta intellectui tali obiicitur, si tamen significatur.

Praeterea, impossibile est intelligi relationem non intelligendo fundamentum et terminum  
 relationis; notitia namque relationis dependet ex terminis. Unde relatio definitur per terminum et  
 fundamentum. Sed manifestum est quod significatio est quaedam relatio rationis voluntaria et ad  
 placitum, cuius fundamentum est vox vel sonus, ut apprehensus; terminus autem est illud quod  
 600 significatur. Ergo impossibile est quod aliquis intellectus cognoscat respectum significationis  
 aut ipsum instituat, nisi cognoscat vocem et illud quod significatur, propter quod si ratio aliqua  
 propria et distincta terminat respectum significationis, necesse est ut cognoscatur ab imponente.

Praeterea, omnis institutio vocis ad significandum est a voluntate imperativa et ab intellectu  
 /X 522b/ executive. Sed impossibile est voluntate imperante quod respectus signi imponatur  
 605 alicui voci in ordine ad talem rationem propriam et distinctam quod intellectus hoc exequatur,  
 nisi apprehendendo rationem illam, alioquin exequeretur circa illud quod ignorat. Igitur id quod  
 prius.

Nec exempla pro secunda opinione inducta debent movere, quia maxime confirmant  
 propositum; nam patri Platonis ignoto non possum nomen imponere significans ip- /Vb 256vb/  
 610 sius substantiam propriam et personam, nisi eius substantiam et personam propriam mente  
 concipiam. Et idem patet de litteris, quia necesse est me concipere aliquem proprium sonum, si  
 debent imponi litterae ad ipsum significandum. Utrum autem intellectus viatoris intelligat  
 substantiam per propriam speciem et propriam rationem, non est praesentis speculationis;  
 nihilominus qui nomen imposuit significans substantiam propriam lapidis et distinctam, ipsam  
 615 propriam de necessitate cognovit.

**Quod viator potest cognoscere rationem deitatis propriam et distinctam, et ad  
 significandum ipsam nomen imponere, ex quo patet quod est aliquod nomen significans  
 nudam Dei essentiam, contra primam opinionem.** Tertia quoque propositio est quod viator  
 620 potest habere conceptum de ratione deitatis propria et distincta. Ubi considerandum quod  
 propria ratio alicuius potest dupliciter cognosci: primo quidem conceptu proprio, sicut  
 concipiens triangularitatem conceptu claro et distinctivo dicitur habere proprium conceptum  
 illius; secundo vero conceptu analogico [analogico Vb] et proportionali, sicut Philosophus  
 docet, I *Physicorum*, intelligere materiam per analogiam et proportionem quandam, quia sicut se  
 625 habet aes ad statuam, sic se habet formale simpliciter ad omnem formam. Devenit autem  
 intellectus noster ad conceptum analogicum alicuius propriae rationis ex tribus terminis sibi  
 notis per quos procedit ad quartum ignotum, sicut superius dictum fuit in quaestione de subiecto  
 theologiae. Unde qui cognoscit propriam rationem trianguli et eius proprietatem aliquam, utpote  
 quod eius tres anguli habent aequalitatem duorum rectorum, et cum hoc cognoscit tertio  
 630 figuram, colorem, et accidentia panis, potest arguere quod, sicut se habet trinitas angulorum  
 aequalium duobus rectis ad propriam rationem trianguli, sic se habet figura et color ad quoddam  
 aliud illi substratum. Et ex hoc poterit formari conceptus proportionalis et analogicus de propria  
 ratione et distincta quae subiicitur colori et figurae, et ceteris accidentibus panis; et cognoscetur  
 635 conceptu analogico propria substantia panis. Similiter etiam cognito actu puro et infinito et  
 prima causa potest formari unus conceptus de proprio substrato et distincto cui competunt  
 omnia ista; et constat quod illud non est nisi deitas, propter quod deitas et eius ratio propria et

distincta analogice cognoscetur. /X 523a/

Uterius autem considerandum quod ille talis conceptus analogicus et confusus non est aliud quam conceptus entis appropriatus et individuatus. Dictum est enim supra quod conceptus entis importat distinctas omnium rationes implicite et confuse, nullam enim dicit explicite et distincte. Cum igitur conceptus iste individuatur et particulatur, utpote cum quis concipit quoddam ens distinctum a quocumque alio et divisum, necesse est ut retineat in isto conceptu conditionem confusionis et indistinctionis sive inexplicationis quam habet totus conceptus entis. Et per consequens apprehendetur entitas propria et distincta, inexplicite tamen et confuse, ac indistincte. Ex quo patet quod potest haberi conceptus de deitate secundum suam propriam rationem, inexplicitus nihilominus et confusus, concipiendo quoddam ens, pro eo quod conceptus entis nullam rationem importat communem, quia /Vb 257ra/ si importaret, individuum entis particulareret illam rationem communem, nec diceret propriam et distinctam rationem alicuius particularis entis. Et ideo qui dixerunt quod ens habet rationem communem, non potuerunt salvare consequenter quod cognoscens Deum sub ratione cuiusdam entis, cognosceret eum sub propria ratione; quod tamen dici necesse est, cum loquatur viator de propria ratione deitatis, et per consequens illam intelligit, alioquin loqueretur quod nescit.

Ex his igitur patet quod viator potest imponere Deo nomen significans eius nudam essentiam et distinctam, quicquid enim contingit intelligere, contingit significare, ut Philosophus dicit, I *Periermeneias*. Sed contingit intelligere Dei nudam essentiam propriam et distinctam conceptu analogico et confuso ab intellectu viatoris. Cum enim concipitur sub ratione cuiusdam entis cui competit infinitas, actualitas summa, et causalitas prima, illud substratum ens est Deus et ratio propria deitatis; non enim ratio entitatis in Deo est aliud a deitate, nec etiam in creatura ratio entitatis est alia a ratione lapideitatis. Unde quemadmodum concipiens omne ens concipit omnes proprias omnium rationes simultanee et confuse, ita concipiens quoddam ens non quidem vage sed certitudinaliter et signate concipit quandam entitatem propriam et distinctam, utpote lapideitatem vel deitatem. Nihilominus tamen confuse ergo contingit Deo nomen imponi, significans nudam ipsius substantiam et distinctam, et istud nomen est ‘Deus’ vel ‘Adonay’, vel si aliquid est tale, ut ‘Tetragrammaton’, quod sit impositum ad significandum deitatem quam viator analogice apprehendit. Et si dicatur quod istud nomen significabit nudam Dei essentiam confuse, dicendum quod significatio non dicitur confusa vel clara nisi quatenus significatum est confusum vel clarum. Dictum est autem quod nuda et clara Dei essentia absque omni medio vel obstaculo concipitur a viatore, cum apprehenditur sub ratione cuiusdam entis, quia ratio entis cuiusdam non est alia [aliud Vb] quam ratio deitatis confuse accepta, non quod confusio sit aliqua ratio medians inter rationem deitatis propriam et /X 523b/ distinctam et vocem significantem, sed quia se tenet ex parte modi intelligendi. Et per hoc etiam patet quod superius dicebatur de viatore theologo, quod habet absolutiorem conceptum de Deo quam sub ratione entis infiniti. Habet enim sub ratione cuiusdam entis capiendo praecise individuum entis, et ad illum resolvit theologus omnes suos conceptus, qui quidem simplex est, sicut et conceptus entis; non enim differt ab illo, nisi sicut individuum a communi.

Nec motiva primae opinionis procedunt. Primum siquidem non, quia licet nomen ‘Theos’ imponatur ab operatione, nihilominus imponitur ad significandum essentiam Dei nudam. Aliud est enim a quo nomen imponitur et aliud cui imponitur; nam nomen lapidis sumitur a ‘laesione pedis’, et tamen imponitur substantiae et naturae ipsius lapidis.

Nec procedit secundum, quia nuda Dei essentia propria et distincta a viatore apprehendi potest confuse, ut dictum est, propter quod sibi potest proprium nomen imponere quod significet illam puram et nudam.

Non procedit etiam tertium, quia Dionysius intelligit quod ratio impositionis nominum divinatorum sumitur secundum manifestationes processus bonitatis divinae /Vb 257rb/ in creaturas, non autem quin aliqua nomina imponantur ad significandum Dei essentiam puram et nudam. Et per idem patet ad quartum. Et in hoc finitur articulus secundus.

690

**Articulus Tertius**

**Ubi assignatur sufficientia nominum divinorum.** Circa tertium vero considerandum quod numerus nominum divinorum potest sub denario comprehendī, ut sit primus modus nominum translative dictorum, qualia sunt ‘splendor’, ‘lux’, ‘character’, et similia. Secundus vero nominum relative dictorum ex tempore, utpote ‘creator’, ‘refugium’, ‘gubernator’, ‘dominus’, et  
695 similia. Tertius autem nominum absolute dictorum ex tempore, ut ‘incarnatus’, ‘humanatus’, et ‘passus’, et sic de aliis. Quartus nominum ab aeterno dictorum personaliter collective, quale nomen est ‘trinitas’, quod praedicatur de tribus personis coniunctim et de nulla singillatim. Quintus vero nominum personalium de qualibet persona singillatim dictorum, utpote ‘subsistentia’, ‘suppositum’, et ‘persona’. Sextus autem nominum personalium priorum  
700 relative dictorum, ut ‘Pater’, ‘Filius’, ‘Donum’. Septimus vero nominum essentialium quiditative dictorum et communium, cuiusmodi sunt ‘ens’, et ‘aliquid’, et ‘res’, et similia. Octavus quoque nominum specialium quiditative dictorum quae significant essentiam Dei nudam et propriam, qualia sunt ‘Theos’ in Graeco, ‘Deus’ in Latino, ‘Adonay’ in Hebraeo. Nonus vero nominum qualitative dictorum communium Deo et creaturae, cuiusmodi sunt  
705 ‘bonus’, ‘sapiens’, ‘iustus’, et sic de aliis attributis. Decimus autem nominum quasi relative /**X 524a**/ dictorum specialium ipsi Deo quae non competunt creaturae, qualia sunt ‘immensus’, ‘omnipotens’, et ‘aeternus’.

Patet autem sufficientia istorum modorum; eorum enim quae dicuntur de Deo quaedam sunt proprie et formaliter in eo, quaedam autem non nisi secundum similitudinem aliquam. Unde  
710 nomina quae sunt imposita ad significandum perfectiones creatas, utpote ‘lux’, ‘leo’, non sunt in Deo proprie, sed transferuntur ad ipsum secundum similitudinem quandam in quantum perfectiones omnium eminenter <com>prehenduntur in ipso. Et sic oritur primus modus nominum divinorum, nominum videlicet translative dictorum. Ea vero quae proprie dicuntur de Deo quaedam dicuntur de eo praecise accepto, quaedam vero de ipso in ordine ad creaturas. Et  
715 istorum quaedam dicuntur in ordine ad creaturam assumptam in speciali, secundum quam Deus dicitur passus et incarnatus, quaedam vero in ordine ad omnes creaturas, prout dicitur omnium refugium et creator. Et secundum hoc consurgunt duo modi nominum divinorum, videlicet secundus et tertius. Eorum autem quae dicuntur de Deo praecise accepto quaedam sunt essentialia, quaedam personalia, quoniam in Deo non est nisi essentia et personae. Personalium  
720 autem quaedam sunt propria, ut ‘Pater’, ‘Filius’, et similia, quaedam vero [*om. Vb*] communia cuilibet singillatim, ut ‘subsistentia’ et ‘persona’, quaedam communia collective, sicut ‘trinitas’ et si aliquid aliud tale est. Et secundum hoc consurgunt tres modi nominum divinorum, quartus scilicet, quintus, et sextus. Essentialium vero quaedam sunt quiditative, quaedam quasi qualitative; et utrorumlibet quaedam propria soli Deo, quaedam communia Deo et creaturae. Et  
725 secundum hoc consurgunt quatuor modi, /**Vb 257va**/ septimus scilicet, octavus, nonus, et decimus. Ex quo patet sufficientia nominum divinorum.

Sed his videntur aliqua obviare. Primo quidem quia in Deo non est qualitas, sed omnia essentialia nomina videntur quiditative significare. Unde ad interrogationem factam per quid de Deo, vere respondetur quod est quaedam iustitia, et sapientia, et clementia, ut *Monologii* 16  
730 capitulo, dicit Anselmus. Sed ista nomina sunt attributalia. Ergo male ponebantur qualitative et distincta contra quiditative.

Secundo vero quia ens videtur esse inter nomina attributalia, cum sit melius in unoquoque esse ens quam non-ens. Ergo non videtur quod debeat poni in alio ordine.

Tertio quoque quia videtur insufficienter numerus assignatus, quia Deus dicitur spiritus et  
735 intellectualis, et non est facta mentio de nominibus istis. Ergo non sunt nomina sufficienter assignata.

Sed istis non obstantibus dicendum est sicut prius. Nec procedit prima instantia, quoniam attributalia nomina praedicantur de Deo et quiditative et quasi qualitative, non tamen vere qualitative, ipsa siquidem expriment conceptus quosdam indeterminatos, qui, quoniam in  
740 propriam rationem deitatis coincidunt, praedicantur quiditative de deitate. Quia vero hoc accidit conceptibus in generali, et accidit connotatis, quod ab eodem connotentur, ideo praedicantur quasi per accidens et qualitative, praesertim quia conceptus illi indeterminati /**X 524b**/

aliquando coincidunt in qualitates et secundas perfectiones, ut quando adaptantur ad creaturas, quia tamen in Deo in rationem deitatis coincidunt, nullo modo vere praedicantur qualitative.

745 Propter quod dicit Augustinus, XV *De trinitate*, capitulo 5, quod cum dicitur Deus “unus, sapiens, bonus, Spiritus, horum omnium novissimum, tantummodo videtur significare substantiam, cetera vero qualitates, sed absit quod Spiritus secundum substantiam dicatur Deus, et bonus secundum qualitatem, sed utrumque secundum substantiam.” Damascenus tamen, libro I, capitulo <lac.>, dicit expresse quod ista dicuntur quasi qualitative.

750 Nec etiam secunda procedit; ens enim non potest dici attributum Deo, sicut nec lapidi, pro eo quod attributum debet concipi per modum secundae perfectionis. Unde ens est illud cui fit attributio secundum regulam Anselmi.

Nec etiam procedit tertia, quoniam ‘spiritus’ potest dupliciter accipi: uno modo pro incorporeo, et sic est quoddam attributum et praedicatur de Deo secundum illud Augustini, XV

755 *De trinitate*, capitulo 5: incorporeus ideo dicitur Deus, ut spiritus credatur et intelligatur esse non-corpus. Alio modo potest accipi pro quodam conceptu specifico et quiditativo speciei subalternae in genere substantiae, qui communis est angelis et animabus, et sic non praedicatur de Deo. In quo tertius articulus terminatur.

760 **Responsio ad obiecta.** Ad ea ergo quae superius inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod ideo Deus dicitur inenarrabilis a nobis, quia intelligi plene et perfecte non potest. Sed quin eius nuda essentiae analogice intellectae, imponi non possit proprium nomen, non intelligit Auctor *De Causis*. Et per idem patet ad secundum, et tertium, et quartum.

Ad quintum dicendum quod Deus non concluditur infra praedicamentorum denarium. Et

765 tamen dictio significans Deum /Vb 257vb/ reduci habet ad aliquam partium orationis, pro eo quod praedicamenta distinguuntur penes conceptus limitatos et alterius rationis, partes autem orationis penes modos significandi, qui quidem modi possunt observari in ordine ad Deum, quamvis sit infinitus.

Ad sextum dicendum quod qualitas quam significat nomen non est praedicamentalis, sicut

770 nec substantia quam significat pronomen, sed substantia accipitur pro supposito et qualitas pro natura. Constat autem quod in Deo vere sunt et suppositum et natura.

Ad septimum dicendum quod conceptus simplex potest habere nomen et dictionem significantem ipsum, et ob hoc ratio quam significat nomen, secundum Philosophum, non debet accipi pro definitione, sed pro conceptibili quocumque.

775 Ad octavum dicendum quod nomen concretum et abstractum competit Deo; non enim omne concretum significat compositum nec abstractum aliquid simplex, nisi eo modo quo aliquid dicitur componi ex supposito et natura secundum rationem. Et tamen in Deo natura et suppositum non faciunt compositionem secundum /X 525a/ rationem, ut supra dictum fuit cum ageretur de divina simplicitate.

Ad nonum dicendum quod inter vocem significantem et rem significatam non oportet quod sit proportio secundum adaequationem et aequalitatem. Sed sufficit quod unum sit signum, et reliquum sit signatum, et in hoc proportionentur /X 525b/ quod illud sit signum et istud signatum.

Ad decimum dicendum quod nomen substantiae praedicamentalis non competit ipsi Deo,

785 nomen autem ‘ens’ propriissime sibi competit, cum sit entitas tota subsistens. Et ob hoc Dionysius dicit quod est super ens et super bonus.